DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE IDIOPATHICA.

2

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE IDIOPATHICA:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS DUBOIS,

CAROLINENSIS SEPTENTRIONALIS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCIII.

Consanguineo suo et amico carissimo

DANIELI M'NEILL,

ARMIGERO,

DE WILMINGTON,

In Carolina Septentrionali;

Ob

Insignem, qua artem salutiferam facit, felicitatem,

Non minus illustri,

Quam

Ob

Miram in humanum genus affabilitatem,

Benignitatem, et benevolentiam;

Hanc Disputationem,

Exiguum

Summae observantiae

Signum,

Et

Praetenue amicitiae,

Qua eum semper dignatus est,

Monumentum,

D. D. CQUE

JACOBUS DUBOIS.

CORRIGENDA.

Page 4. l. 4. *pro* typhomianam *lege* typhomaniam.

5. l. 12. *pro* languida *lege* languide.

16. l. 18. *pro* ſemel *lege* ſimul.

17. l. 4. *pro* ipſe *lege* ille.

19. l. 8. *poſt* quod *lege* in illa.

25. l. 6. *pro* reliquium *lege* reliquum.

29. l. 3. *pro* teneribus *lege* tenuibus.

30. l. 11. *pro* inſpicientes *lege* inſpicientibus.

33. l. 14. *pro* et *lege* ut

39. l. 4. *pro* quocunque *lege* quacunque.

43. l. 14. *pro* arridunt *lege* arrident.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE IDIOPATHICA.

Auct. J. DUBOIS.

UNDE hujufce morbi, de quo paululum differere jam mihi in animo eft, derivetur nomen, olim inter medicos multum fcrutationis, multumque litis, creavit. Sed, uti talis indagatio limitibus huic differtatiunculae impofitis male conveniret, et revera nec operae pretium foret; omnes, quos delectat in hanc quaeftionem animos intendere, ad opera eorum qui, me opinante, parum cum fructu de ea tractabant,

relegam. Tantum obiter obſervabo, a Graeco verbo φρενιτις receptum eſſe nomen *Phrenitis*, et eodem modo apud Anglos *Frenzy* vocatum. Hunc morbum in omni aevo, atque in toto orbe terrarum, ſaevire, multa ſunt quae ſatis demonſtrant. Horridi ejus impetus attentionem in ſe convertere medicos coegere; et, in ſaeculo adhuc rudi et inculto, uti a ſcriptis antiquorum edocti ſumus, rationem medendi forſan aeque rationalem, ac in aevo praetereunte, eorum labores praebebant; ſed felix hoc aevum, quippe quod ab ejus dira facie immunis evaſerit; paucula enim ſunt exempla, quae mihi, in iſta orbis terrarum parte, ubi aëra vitalem primo hauſi, quaeque ejus eſt quaſi ſolum natale, nunc obverſantur: Nunquam tamen haud timendus eſt, et hanc occaſionem nunc laetus arripio, ut non ſolum omnia, quae olim de ejus natura prolata fuere, hic loci in medium edam, ſed etiam ut quidquid novi mihi ingenium ſuggerat, qua decet modeſtia, proponam.

Varie

Varie definitur hic morbus; fed quae ejus naturae melius conveniunt definitiones a Sauvagefio, Linnaeo, Vogelio, Sagaro, et Culleno, traditae funt, praefertim ea, quae ab horum nofologorum ultimo proponitur, licet, me judice, parum accurate. An mihi licebit paululum novi hic loci proferre, et, quae ejus naturam praecipue defignant, figna folummodo annotare? Alia forfan, quando hiftoriam pleniorem tradamus, melius enumerabuntur. Sic, pyrexia vehemens, pervigilium, et delirium ferox; fed, quia experientiae meae fuppellex hoc maxime urgere haud me finit, definitionem celeberrimi et immortalis viri arripiam.

"Pyrexia vehemens, dolor capitis, rubor faciei et oculorum, lucis et foni intolerantia, "pervigilium, delirium ferox." Licet, in omnibus nofologiae ejus methodicae editionibus, "*typhomania*" partem hujus morbi characteris conftituiffet, in ultima editione tamen *Primarum*

Linearum

Linearum eam penitus auferendam judicavit. Illuſtriſſimus profeſſor, qui rem medicinae practicam ſummis cum laudibus in hac alma academia docet, *typhomianam* retinendam exiſtimat, ex eo quod in omni cerebri miningum inflammatione ſtupor potius, quam delirium, adeſt *: oportet ergo me, qui viros tam clariſſimos in tanta reverentia habeo, ſilere, nec lites inter eos diſponere aggredi.

Hunc morbum, in forma ejus idiopathica, de qua ſolummodo mihi in animo eſt paucula hic loci proferre, ab iis, qui rem medicinae practicam faciunt, multum neglectum habitum eſſe putat profeſſor noſter clariſſimus, de quo antea mentionem feci. In hanc culpam inciderunt magnus Boerhaavius ipſe atque ejus aſſeclae.

Hiſtoria.—Quando morbus hic lente graſſatur, ſigna haec, *antecedentia* uti vocantur, ejus adventum praenunciant. Pulſatio plus minuſve valida

* Aud. Praelectiones.

valida arteriarum temporalium et carotidum, et ulteriorum ramorum et arteriarum vertebralium intra cranium, unde dolor immanis, qui frontem et ſinciput ad cervicem uſque tendens, tam multum gravat. Comitatur ſimul aurium tinnitus, totius corporis, et praecipue capitis, calor auctus, licet pedes ſaepe per totum morbi decurſum frigeſcant. Pulſus carpi ſaepe parvus remanet, temporalibus et carotidibus arteriis valide pulſantibus: Reſpiratio vero maxime difficilis ſaepiuſque iterata, licet haec, quam in ſanitate, interdum magis languida perficiatur, et frequente ſuſpirio atque excreatione ſtipetur. Æger infelix ſubito et magnopere loquendi facultatem exercet, exagitatae mentis concurſationem edit, reſponſaque parum ad rem rapide profert. Quum ſomnum inire vult, irrequietus ſit, gemitus longos ducit, ſomniiſque diris e ſomno excitari videtur.

Jam morbus in medium cum ſignis ſuis terrificis

rificis prodit, et *praeſentia*, uti vocantur, ſigna nunc diram ſuam faciem oſtendunt, viz. pyrexia vehemens cum delirio; oculi ardent, interdum ſicci, interdum etiam lacrymis madefacti ſunt; obtutu feroce volvuntur, et ſaepe in aliquid fixi manent, quod iis geminatur; lucem etiam quam maxime obſcuram tolerare nequeunt, et tunica albuginea plus minuſve, pro pyrexiae gradu praeſente, inflammatur. Ante tamen quam delirium confirmatum eſt, reliqui ſenſus quam maxime acuti fiunt, praeſertim auditus, ita ut ne minimus ſuſurrus aures poſſit evadere: Eodem ſimul tempore, totum ſyſtema nervoſum ſic ſtrictius dictum maxime ſenſile evadit. Facies rubeſcit et tumeſcit; os aret, licet interdum muci vel lymphae coactae copia profuſa ex hoc, aeque ac faucibus et trachea, ſtillet, quae delirio feroci quo aeger ſaevit, valde augetur. Dentes atque labia foeda ſunt; lingua arida, fuſca, vel negricans apparet; ſitis immedicabilis urget; appetitus omnino deficit; guſtus depravatur,

tur, vel quidquid in os acceptum amarum percipitur; alvus aſtricta eſt; urina interdum rubicunda redditur, ſed ſtatim limpida et pallida, interdum etiam turbida, et minore quam ſolita quantitate; pulſus languidus eſt, ſed frequens, aliquando durus, ſemper etiam debilis et depreſſus.

Morbo ſaeviente, delirium maxime intenditur, ferox fit aeger, e cubile exilit, omnes coram adſtantes adoritur, et inſaniae quam ſummae omnia ſigna oſtendit. A cibo omnigeno averſatur, quippe qui timeat ne aliquid mali ſibi ex eo immineat; eodem ſimul tempore aliquo alio modo mortem ſibi afferre conatur, neque hujus rei, uti ſcriptor eximius * loquitur, ullam rationem claram aut perſpicuam poſſumus afferre; horrendus viſu vultus fit, et contortionibus foedus; e naſo ſtillat ſanguis. Æger lente et aegre ſpiritum trahit, et infelix ſuper lectum ſeſe jactat;

tat;

* Arnold *on Inſanity.*

tat; ſtragula, vel quidquid oculis obverſatur, captat; et in aëre objecta volitare putans, in illum impetum fruſtra facit.

Progrediente morbo, modo quem jam recenſuimus, vires aegroti gradatim labaſcunt; lingua tremit, ſonumque debilem ac lentum edit, et ſaepius, haud ſecus ac in Rabie Canina, ore ejecitur; ſenſus auditus omnino deficit; quieſcit aeger, quaſi ſtupore conſopitus, vel, ſi hic non ſupervenerit, ſudor viſcidus ac frigidus circa caput et collum prorumpit; tremunt quoque diverſae corporis partes; deficit animus; urina et faeces interdum penitus ſuppreſſa ſunt, interdum, etiam inſcio aegroto, e corpore labuntur; materiei vomitus bilioſae et aeruginoſae, faciei pallor et ſqualor, extremitates corporis conſtrictae, frigidae, et immobiles, nunc aegrum in lubrico verſari oſtendunt. Dentibus effrendens, cum tendinum ſubſultu, nevorumque diſtenſione ac convulſionibus, infelix aeger demum

mum animam efflat, plerumque tertio, quarto, vel ſeptimo, die *; ultra quem raro morbus protrahitur, niſi in his caſibus ubi mania, coma, melancholia, vel fatuitas, ſuperveniunt.

Quae, ſectis cadaveribus, apparent.—Licet phaenomena, quae ſectis cadaveribus ſeſe oſtendunt, parum aut nihil valeant, in pleriſque morbis, ad ſcientiam noſtram clariorem faciendam, quando de natura morbi alicujus indaganda, cujus cauſae et ſedes in aprico non ſint, verſetur; tamen nullus eſt, qui negat, talem indagationem in diverſis morbis, ad alios vel ſimiliter occurrentes praecavendos vel curandos, multum profuiſſe. Idcirco, quae ex medicorum obſervationibus in hunc finem cum multa fide † atque magna ſolertia factis percipi potuerunt, hic loci annotare animus me fert.

 Dura

* Vid. Boerhaavii Aph. 774.

† Vid. Bonet. Lieutaud. et alios auct.

Dura mater, calvaria remota, varias mutationes exhibebat. Cranio quasi accretam, et crassitudine et robore multum adauctam, interdum se ostendebat. Tumores, instar ossium, indurati in superficie ejus enascentes, et inflammatio quoque, per totam ejus fabricam, in conspectum saepe veniebant. Vasa ejus sanguinem vehentia, nigrescentia et putrida, numeroque aucta, interdum apparuerunt, licet speciem nonnunquam haud ab ea diversam, quam in statu naturali, ostenderent. Aliquando gangraena et sphacelo corrupta inventa fuere, ex orificiis suis sanguinem nigrum ac foetidum effundentia. Processus falciformis in os penitus conversus apparuit. Pia mater et ejus vasa sanguifera, haud secus ac dura mater, afficiebantur, et omnia signa inflammationis ac consequentium apparebant. Crassitudine ac robore pia mater duram matrem, qualis in statu sano apparet, aequabat, et cum ejus vasis sanguiferis a cranio penitus separari poterat. In cerebro ipso, mu-

tationes

tationes non minus mirabiles compertae fuere, ſed quae omnes a membranis ejus primario affectis pendebant: nam ſaepenumero, his multum ab inflammatione perpeſſis, cerebri ſubſtantia nullum incommodum ſubibat, etiamſi plerumque, ob conſenſum qui hanc et ejus meninges intercedit, ſpeciem inflammationis prae ſeſe ferat, et venae tam graviter turgeant, ut ſine ullo labore ſeparari poſſint. In quibuſdam exemplis, aridius et durius ſolito obſervatur cerebrum, ſuppuratione et gangraena affectum. Aliquando etiam ſerum ſanguine commixtum in cavis, et convolutionibus ejus, effunditur. Abſceſſus pus purum continentes plerumque ſubviridis coloris, et odoris foetidi, in ſubſtantia ejus gignuntur; atque haec materies, morte propinquante, e naribus ac ore aegri ſtillat. Liquor putridus, huic haud abſimilis, in ventriculis cerebri conſpectus eſt; et plexus choroideus ſimili modo, ac caetera vaſa ſanguifera, affectus, deprehenſus eſt.

In

In quibuſdam tamen exemplis, ubi omnia morbi ſymptomata adfuere, nulli horum effectuum, quos jam recenſuimus, apparuere.

Cauſae Praediſponentes.—Quaecunque corpus irritabile reddunt, vel irritabilitatem ejus adaugent, tanquam cauſae praediſponentes habendae ſunt; ſic plethora, temperamentum ſanguineum vel cholericum, cibi ſtimulantes, liquorum ſpirituoſorum uſus immodicus, vinum, venus effraenis, ſtudia intenſa nocturna, pervigilia, vita ſedentaria, cogitatio intenſa, exinanitiones ſolitae ſuppreſſae, uti haemorrhois, menſes in foeminis, epiſtaxis quae ſtatis temporibus antea apparuerat. Juventam, id eſt, ab annis XV. ad annos XXV. ſaepius; aëtatem autem infantilem nunquam, et perraro ſenectutem, adoritur. In mulieres, quam viros, rarius impetum facere hunc morbum, ſaltem hos, quam illas, in hunc procliviores evadere; et foeminas, ſi quando phrenitide laborent, ex ea facilius ſalutem recuperare,

rare, multi ſunt quibus perſuaſum eſt. Haecce vero opinio minus ſtabilita mihi videtur, et experientia in hoc exemplo certe fallax evadit; nam, pace tantorum virorum, quorum fide opinio haecce innititur, cum auctore clariſſimo facilius aſſentire vellem; qui dicit mulieres, quam viros, huic morbo opportuniores eſſe, quoniam illis ſunt corpus magis plenum, temperamentum magis ſanguineum atque irritabilitas major, quam his *. Fallacia ergo, unde enata eſt haec opinio, ex eo pendet, quod morbus mulieribus, quam viris, rarius accidit, quippe quia cauſis excitantibus hi, quam illae, ſaepius obnoxii ſunt. Auctor illuſtris exemplum tradit, ubi in cerebro, vermis ſubſtantiam ejus et meninges mordens, inventus eſt, cui phrenitidem, quae ſupervenit, ille tribuit †; ſed, me judice, quantum cauſis hujus morbi tribuendum ſit, non ſatis conſtat. Nonne veriſimilius eſt, injuriam membranis atque cerebro illatam

morbo

* Conſpectus Med. p. 246. and 523. vol. 1. edit. 3.

† Bonet, in Sepul. Anat. lib. 1. ob. viii. ſect. vii.

morbo ipſo poſteriorem fuiſſe, vel poſt aegri mortem. Inedia quoque inter cauſas, quae corpus huic morbo proclive reddunt, hic loci enumerari debet; et eodem modo, ac vermes, ut ſupra memoratum, forſitan agere videtur. Qualiſcunque vero ſit haec actio, modo, qui jam ſequitur, ratio quaedam reddenda eſt. Impertit inedia aliquid acoris ventriculi nervis, quem acorem a ſucco ventriculi ipſius pendere veriſimile videtur; quoniam notum eſt ex munere, quo in cibi concoctione fungitur, eum vires valde nocivas poſſidere; et, quando ad hanc perficiendam non deſtinatur, viſcus, in quo gignitur, ſaepe penitus corrodere, uti ex periculis ab Huntero eximio accuratiſſimis factis, clarè patet, necnon ex ſignis quae illi in conſpectum venerunt, ventriculum mortuum inſpicienti *. Hoc modo nervi ventriculi, et, brevi poſtea tempore, totum genus nervoſum, irritantur; quae tandem irritatio in ſyſtema ſanguiferum ita agit, ut cauſa excitans evenire poſſit.

Cauſae

* Vide Philoſop. Tranſ. v. lxii. p. 447.

Causae excitantes.—Quae hic loci praecipue enumerari debent, sunt radii solares torrentes caput nudum impingentes, vel insolatio, uti antiqui loquebantur, quae eos cursui solis nimium propinqui vitam degentes potissimum afficit. Raro occurrit in zona temperata, et perraro in zona frigida; et revera verisimile est morbum nunquam excitari in his plagis terrarum, nisi aliae causae validissime agant, vel aeger frigori intenso objectus sit, quod eosdem effectus, ac aestus solis, edere jam satis constat. Eruditus Van Swieten exemplum tradit, ubi messores duo labore defessi, terram super incumbebant, capite simul soli aestuanti objecto; et, quum adstantibus e somno excitati fuerunt, paucula percontantibus parum ad rem protulerunt, et paulo post animam miserandi efflarunt. Eundem effectum calor, quovis modo inductus, dummodo aestuans sit, edit; cujus exemplum insigne enarratur ab auctore, qui multum in medicina versatus est. Hominem dicit, capite ignis aestui

ſtui objecto, dormiſſe, et inter dormiendum mortuum eſſe *; ſed, quia hujus morbi ſymptomata non clarius adfuere, dubito an ignis aeſtus cauſa excitans evadere poſſit. Quandocunque caput, calore intenſo prius calefactum, frigoris actioni objiceretur, hunc effectum inſigni modo eveniſſe, exempla ſunt quae demonſtrant. Injuriae capiti externa vi illatae, ad hunc morbum concitandum ſaepenumero ſufficiunt. Liquorum ardentium uſum immodicum, motus animi excitantes, vigiliam, ſtudium ſub noctu intenſum, meditationem altam, venerem frequentem et effraenam, ſolitas exinanitiones ſuppreſſas, hic loci, aeque ac in cauſis praediſponentibus enumerandis, recenſere fas eſt. Sed, quemadmodum admitti debeant motus animi deprimentes, utpote qui ſanguinis impetum minuant, hic loci anceps haereo: haud ſemel denegandum eſt, terrorem in quibuſdam exemplis effectus ſtimulantes edere, uti teſtantur Boerhaavius, Van Swieten,

* Tiſſot.

Swieten, &c. et exemplum tradit Van Alpheus, in diſputatione ſua inaugurali, juvenis habitus corporis pleni, qui, in mare ne á nave praecipitatus eſſet timens, ita perculſus eſt, ut ipſe perhibuit, ut intra paucos dies phrenitide laboraret (ſanguinis miſſione prius penitus neglecta) quae vitae ejus finem tandem impoſuit. Varii odores, et materia noxia et venenata naribus inhàlata, eoſdem effectus ſaepenumero praebent. Ab auctore jam memorato tradita ſunt exempla, ubi linimenta, unguenta, et emplaſtra capiti admota, eadem ediderunt: quorum duo hic loci recenſere licet, ubi emplaſtra duo parva, ex gummi maſtiche conflata, capiti aegri odontalgia a frigore oriente laborantis admota, phrenitida induxerunt; quod teſe H. Oſterdyk Schacht, tunc temporis medicinae rei practicae Lugduni Batavorum Profeſſori, obtuiit. Denique, vehemens corporis exercitatio atque aër impurus, teſtante celeb. Lind, phrenitidis cauſae excitantes extitere.

 Diagnoſis.

Diagnosis.—Diagnosin justam morbi alicujus formare, res est aeque difficilis ac gravis; sed inter morbum, de quo nunc disputatur, atque omnes alios, limites accurati facile poni possunt, licet haud parum fidei scriptores aliter judicaverint: nam morbi ipsius tam violenta natura est, ut vix in dubio longum haerere nos signa ejus sinant. Maxima in hac re oriri videtur difficultas ex eo, quod magna inter delirium, quod in hoc morbo et in mania et phrenitide symptomatica accidit, intercedit similitudo. Sed, si ad historiam posterioris morbi animum intendamus, vix errare periculum est; nam in morbo idiopathico delirium semper est ab initio, dum, in phrenitide symptomatica, hoc non, nisi morbo per aliquot dies saeviente, occurrit; ex hinc febrem passibus aequis sequens. In phrenitide idiopathica, delirium sine ulla causa manifesta saevit, febre simul leviter urgente, testante celeberrimo M'Bride. Praeterea, phrenitis idiopathica in regionibus placidis perraro

occurrit,

occurrit, dum ſympathica frequentiſſime et praeſertim ſub aliarum febrium criſi. Delirium, quod in mania accidit, nunquam vel ſaltem perraro, graviter urget, et, quandocunque ferox evadat, nulla febris violenta comitatur *. Sed quae praecipue, ſecundum Cullenum, maniam inter et phrenitida, cum idiopathicam tum ſymptomaticam, intercedunt ſigna, ex eo ſunt, quod animus in conſortio rerum volvendo inſigniter ruit, et in diverſa rapitur, et quod functiones animales praecipue afficiuntur, vitalibus et naturalibus nullatenus ſimul mutatis. Praeterea, in mania, recordatio integra remanet, praeſertim quoad res externas atque forte occurrentes ſpectat; ſed haec aliter ſe habet in phrenitide.

Prognoſis.—In hac tam gravi tamque nobili morbi alicujus parte indaganda, nimis ſaepe in tenebris latente, multa ſunt, quae, ſigna praeſentia vel forte futura attento animo conſide-

randa,

* Princip. Med. clar. Home.

randa, nos docent; et ſi quando maturior experientia praeſto non ſit, eventum infauſtum praedicere juvenem fere ſemper licebit, ne felicem exoptare nimis cupienter ardens, ea, quae morbo domando aptata ſunt, remedia admovere negligeret. In morbo, de quo paucula jam prolata fuere, non multum erroris neque calumniarum timendum eſt, ſi miſeri aegri fatum lethale dolere ſymptomata nobis praenunciant, niſi tempeſtiva et efficaciſſima remedia quam propere propinentur.

Praeſtantiſſimi auctores mortem tertio, quinto, vel ſeptimo morbi diebus, eveniſſe perhibent. Hoc reverendi medicinae patris dierum criticorum doctrinae favere videtur; ſed hic loci me penitus a tali indagatione abſtinere oportet.

Quoniam perſpicuitas maxime petenda eſt, ſymptomata hujus morbi in duo genera dividam,

nempe,

nempe, 1*mo*, Quae eventum felicem praenunciant; 2*do*, Quae infauſtum.

In primo horum genere conſtituendo, animum imprimis intendere ad aegri corporis habitum, aetatem, temperamentum, cauſarum naturam et gradum, coelum quo aeger affligitur, et durationem morbi, oportet. 1. Si habitus corporis pleni et robuſti aeger non ſit, et diatheſi phlogiſtica parum praeditus; ſi temperamenti melancholici ſit, et infra pubertatis annos, vel ultra viginti quinque, eventum felicem ſperare licebit. 2. Si morbi cauſae non longum objectus fuerit aeger, vel ſi cauſa ipſa non maxime urgeat, quod ex ejus effectibus ſub morbi initium colligi poteſt, vel ſi ſub coelo miti vel frigido aegrum corripiat, tunc quoque bonum augurandum eſt. 3. Si lente procedat morbus, et non longe ante duret, quam auxilium petatur, bonum praedicere quoque tum fas erit.

Dolor,

Dolor, ex capite ad extrema corporis pervagans, tumores circa aures et parotides, totius corporis ſudor profuſus, et urina ſedimentum copioſum deponens, eadem exoptare demonſtrant. Delirium, riſu potius quam metu ſtipatum, melius praenunciat. Si ad ſomnum inire vellet aeger, delirio ſimul remittente, ſomniiſque praeſentibus, bonum quoque ſperandum eſt. Sed ſpes maxima indulgenda eſt, quando delirium remittat atque pyrexia ceſſet, quando mentis agitatio quieſcat, et reſpiratio leviter perficiatur.

II. Sed ſi illa, quae inter feliciora tradita fuere, omina, nempe quae aetatem, temperamentum, et habitum attinent, aliter ſe habeant, ſpei indulgere nunquam fere ſemper licebit.

Si pyrexia ſit vehemens, delirium ferox et conſtans, reſpiratio difficilis, nulla ſitis, etſi os graviter areſcat, pervigilium fere perpetuum, titubatio, urina pallida vel penitus ſuppreſſa, al-

vus

vus aſtricta, vel dejectiones albae, vel etiam diarrhoea rubicundi coloris, materiei biliofae et aeruginoſae vomitus, omnia haec aegrum in lubrico verſantem oſtendunt. Si delirium, ſine ulla cauſa manifeſta vel corpus vel mentem incitante, augeatur, hoc quoque infauſta praenunciat. Si, dum urgeat delirium, aeger ſileat, et cogitationis atque recordationis expers eſſe videatur, et ſomniculoſo ſtupore obruatur, ſi, ante quam morbo correptus fuiſſet, ingenio miti et placido gaudebat, nunc, illo ſaeviente, ferox et aegre coercendus, ſi delirium metus comitetur, *i. e.* ſi quidquid cibi vel potus ſibi oblatum reſpuat aeger, ne aliquid mali ei impendere timens, ſi ſomnum inire nolit, et cubicula perambulet, omnia haec deliria, circa neceſſaria uti vocantur, mortem in propinquo adeſſe indicant. Si in omnes coram adſtantes expuat aeger, malum hoc certe eſt omen. Si ſputum frequens edat, corpore ſimul frigeſcente, vomitionem nigram brevi ſuperventuram eſſe, teſtatur Hippocrates;

qui

qui idem dicit, fitim fubito ceffantem, et fanguinem e naribus guttatim emanantem, praecipue fub morbi diem quartam ab initio, mala quoque praedicere. Si aegroti vires penitus labafcant, fi tremor diverfas corporis partes quatiat, fi furditas aures corripiat, fi oculi haud amplius micent et eorum tunicae fcabrae confpiciantur, fi vifus depravatus fit, fi vox fonos tremulos edat, fi ftridor dentes quatiat, fi collectio flocculorum, mufcae volitantes et fubfultus tendinum adfint, vel denique, fi tumores vel ulcera quae in fuperficiei corporis parte erant, fubfidant, vel arefcant, fi frigefcant extrema, atque diftenfiones nervorum fingultus et convulfiones aegrum corripiant; haec omnia mortem in limine adeffe pollicentur, vitaeque infelicis finem jam impofituram. Si hoc jam tradito modo morbus inter feptimum vel octavum diem haud terminet, delirio adhuc perftante, licet pyrexia mitefcat, maniam vel melancholiam fubituram effe, ratio eft cur fufpicemur.

Si

Si una cum pyrexia ceſſet quoque delirium, et coma ſupervenerit, apoplexia cito corripitur aeger; maxima ex parte, etſi ſanitas renovari videatur, ſurditas, dolores ſaevi, vertigo, tinnitus aurium, et motus exercendi impotentia, vel ſaepe fatuitas, aegri vitae reliquium miſerabile reddunt.

De Natura atque Sede Morbi.—Licet mihi non ſit, opiniones hominum clariſſimorum, fide et obſervantia dignorum, quibus ſedem hujus morbi intra cranium, vel in cerebro ipſo, vel in ejus membranis, vel in ambobus, inflammatis, exiſtere perſuaſum eſt, hic loci refellere aggredi; tamen veniam impetrabo, uti ſpero, ſi paucula in medium proferam, quae hanc opinionem multum convellere tendunt.

Imprimis, ipſe Pater medicinae, licet inter ejus aphoriſmos hoc ſtabiliverit, quod ſi pars aliqua doluiſſet antequam morbus ſe oſtendebat,

ibi hujus ſedes ſemper extitiſſet *, nunquam phrenitida in capite ſedem ſuam collocaſſe aſſeruit; neque ex ſcriptis ejus patet, ſe morbi hujus ſigna ex inflammatis membranis vel cerebro ipſo conſtare, credidiſſe: in praecordiis potius ſedem eſſe affirmavit. Altera vero opinio, quae inflammationi cerebri, et ejus membranarum phrenitidis ſigna, tribuebat, procul dubio ex hypotheſi originem ſuam duxit; et medici ad illam confirmandam ad corpora inciſa aufugerunt, in quibus ſi forte occurreret, ut cerebrum vel ejus meninges quovis modo affecta fuiſſent, opinionem ſuam ſtabilitam eſſe, facile crediderunt: Sed, uti Celſus dicit, "neque quicquam "eſſe ſtultius, quam quale quid vivo homine "eſt, tale exiſtimare eſſe moriente, imo jam "mortuo;" nam ex cadaveribus eodem modo inciſis pariter patet, nullam vim cerebro neque ejus membranis illatam fuiſſe, licet omnia phrenitidis ſymptomata prius adeſſent. Hoc enim

ſufficiet

* Aph. Hipp. xxxiii. ſect. iv.

ſufficiet ad nos certiores faciendos, talem poſſe exiſtere ſtatum ſine morbo de quo diſputatur. Opinionem, quae eruditus Gliſſon in medium protulit, amplecti animus me potius fert; nam ille dicit, " Enim vero ſciendum eſt, quidquid " non perpetuo adeſt in corporibus apertis, eo- " dem morbo extinctis, ad primam id inti- " mamque ejus eſſentiam ſpectare non poſſe; " uti etiam neque illud, quod in variis corpo- " ribus reperitur, quibus morbus abeſt; neque " enim morbus ipſe exiſtere poteſt ſeparatus a " ſua eſſentia, neque eſſentia a morbo." Opi- nio alterius clari anatomici, de eodem loquentis, hic loci recenſeri licebit. " Phrenitidis cauſam, " ſi modo unquam, non ſemper tamen menin- " gum aut cerebri eſſe inflammationem;" ſic ſcribit Bonetus. Praeterea, quoſdam alios mor- bos, vel natura diverſos, vel ſaltem non ex in- flammatione pendentes, eandem edere ſpeciem monſtravit diſſectio; ſic cephalalgia, apoplexia, coma, &c. uti teſtantur Morgagni, Bonetus, et

Williſius.

Willifius. Porro, in morbis qui nullam rationem capitis habebant, tamen vafa hujus turgida, inflammationi tam ufque neceffaria, poft mortem in confpectum veniebant. Exemplum hujufmodi tradit celeb Morgagni, in quo mulier, quae, uti illi perfuafum erat, pectoris infarctione laborabat, "nullo delirio, nulla fopo-"rofa affectione, tentata," animam efflavit; tamen "cerebrum, fi quod unquam aliud, vafa "omnia oftendit, quae per tenerem meningem "difcurrunt, fanguine turgida, et fanguinis "multum in iis etiam fuit quae per medulla-"rem trajiciuntur fubftantiam." Ex his jam dictis, clare conftat, opinionem, quae fedem hujus morbi in inflammato cerebro, vel ejus membranis, fimili modo affectis, collocavit, multum infirmatam effe; quoniam partes a capite remotas fpeciem inflammatam edidiffe, cerebro membranifque ejus integris remanentibus, monftravit diflectio. Et hoc fancivit Barth. de Moor, qui dicit, "inflammationem membranorum cerebri

"femper

" ſemper adeſſe, ubi adeſt phrenitis, a veritate
" alienum mihi videtur; ſaepenumero in inteſ-
" tinis teneribus poſt mortem obſervatur in-
" flammatio; inflammatio meningum rarius oc-
" currit, ſaltem quantum mihi videre licuit."
Ex his tam gravibus rebus colligere mihi fas eſt, inflammationem, quae aliquando ſub cadaverum ſectione conſpicitur, potius exiſtere effectum, quam cauſam hujus morbi; et revera haece opinio ſignis cerebri inflammati plurimum ſancitur; nam, quando hoc accedit, nunquam tam vehemens tamque conſtans delirium adeſt, uti in phrenitide, et non, niſi ſuppuratione jam exiſtente, delirium unquam ſaevit, uti a J. H. Fiſcher et Pott memoratum eſt *. Porro, diverſa medendi ratio, quae utrique morbo convenit, eandem ſtabilire opinionem videtur; nam, cerebro membraniſque ejus inflammatis, ſanguinis miſſio non aeque cito, ac in phrenitide, commodum affert.

Dolor

* Vide Diſſert. Inaug. J. H. F.

Dolor capitis, qui fortaffe erat caufa, cur in inflammatis cerebro et ejus membranis, medici, a *priori*, fedem hujus morbi collocarunt, modo fequente explicari poteft: Sanguinis impetus adauctus, et magna ejus portio, cerebrum verfus, femper derivata, et forfan ibi quoque adaucta, (licet, Profeffori noftro Monro haecce opinio parum arrideat) non folum hujus organi vafa magna fanguifera, fed etiam ramulos capillares minutiffimos, fibrillafque nervofas ibique fcatentes, quae antea oculo infpicientes nullatenus apparuerunt, diftendent, quaeque infenfiles quafi fuere, uti in membranis praecipue in dura matre, ftatu ejus fano, periculis factis plane innotuit: Haec vaforum diftenfio, fenfibilitatem eorum adaugens, capitis dolorem immanem producit oportet. Pari modo lucis et foni intolerantiae ratio reddenda eft. Pyrexia vehemens, pervigilium, et delirium ferox, eidem quoque caufae fortaffe tribuenda funt, viz. fenfibilitati praeter modum adauctae, pofteaque in fyftema fanguiferum reagenti.

Non

Non mihi in animo eſt, et revera haud neceſſarium eſſe duco, amplius de theoria diſſerere, quae, tametſi methodum medendi nullo modo afficiat, plurima in medium profert, quae errores priorum auferre quodammodo queat. Nunc igitur omnia ſummatim edam: Hujus morbi ſedes in capite nihil amplius, quam in aliis quibuſdam corporis partibus, eſt, in quibus terminare poteſt. Ejus natura vel cauſa proxima, uti vocatur, nullo modo, niſi gradu, ab ea ſynochae purae diſcrepat; ambo hi morbi ex actione cordis et arteriarum et generis nervoſi adaucta, vel ex adaucta horum ſyſtematum incitatione, pendent; uti ſola morbum ſanandi ſpes reſtet in minuendo ſanguinis impetum, vel reſtaurando quam primum actionem naturalem omnibus his vaſis, praeter modum, laborantibus.

Sanatio.—In hoc opinionum tribunali magno, a quo nulla eſt appellatio, ubi imaginationis exuberantia evaneſcit, atque mentis fervor acerrimus,

rimus, quo homines ſcientiarum utiliſſima convellere et diruere incitantur, cedit, duae indicationes generales nobis obverſantur. I. Sanguinis impetum adauctum minuere. II. Debilitati et quibuſdam aliis effectibus, vel a morbo ipſo, vel a prima indicatione abſolvenda, provenientibus, obſtare; vel, ſi fieri poteſt, eos penitus amovere.

I. Ad primam harum indicationum abſolvendam, res omnibus patet eſſe praecipue neceſſaria *cauſas excitantes*, modo adſint et agant, tollere, et, quomodo hoc fieri poſſit, hic loci recenſere haud neceſſarium eſſe duco.

Ad ſanguinis miſſionem, utpote *ſine qua non*, ſtatim confugiendum eſt. Quamdiu hoc tam princeps remedium impune differatur, abſolvere me imparem eſſe confiteor; ſed, me judice, nunquam tam ſerum eſt, modo morbus non contraindicet, ut aliquid levaminis ſecum non afferat. Galeni

leni opinionem hoc ſancitur; ita dicit, "Quo-
"cunque morbi die mittendi ſanguinem ſcopos
"in laborante inveneris, in eo auxilium illud
"adhibito, etiamſi vel vigeſimus is ab initio
"extitent." Utrum vero, ſub morbi initium, ſanguis ex capite an ex brachio detractus magis proſit, anceps haereo; vel, ſi opinionem proferre liceat, non multum intereſſe, ex qua parte detrahatur, dicerem. Sed, quando ſanguinis magnam copiam detrahere neceſſe eſt, quod raro accidit in his plagis ubi morbus maxime ſaevit, ubi corpus ſanguine minus abundat, et ubi caloris ipſius natura talis eſt ut ſyſtema uſque eo enervet, et deliquium inducat, quod ſemper ſanguinis rivum impedit; quando periculum a larga vel ſubita ſanguinis miſſione, in iſtis terrarum plagis, nos admonet, omnia alia remedia, ad ſanguinis impetum minuendum, eodem tempore tentare, ut minimum quam fieri poteſt opus ſit vaſa ſanguifera deplere; tum, quoties ſanguinis larga miſſio neceſſaria eſt, ve-

nae jugulares potius, quam brachii venae, aut temporum arteriae, incidendae ſunt; quia ſanguinem majore copia effundunt, et incommodis, arteriis temporum patefactis orientibus, omnino carent: nam, propter irrequietum aegri ſtatum, ea, quae inciſuram his impoſitam comprimunt, quo decet loco ſervare perdifficile eſt. Praeterea, ob conſortium, quod illos inter et principes cerebri ſinus intercedit, multo majus levamen capiti, quod maxime dolet, accedi poteſt. Cullenus eximius dicit, cucurbitulas cruentas, eodem tempore temporibus admotas, maxime prodeſſe: ſed mihi veriſimilius videtur, ſatius eſſe, quando fieri poteſt, arteriam temporalem incidere; e qua ſanguis liberius profluere poteſt, ſi cucurbitulae, vel, ſecundum quoſdam, hirudines, partibus inciſis admotae ſint; quia ad illud perficiendum majore ſuperficie opus eſt, et majore cum dolore ſtipatur, ideoque corpori ſtimulus major accedit. Incidendo venas frontales, vel ranulares quoque, quidam multum

multum commodi expectarunt: sed nimis certe; nam periculum in his incidendis semper occurrit, et, quidquid ex ambobus incisis expectare fas sit levaminis, multo tutius faciliusque venis jugularibus patefactis profluit. Ab Hoffmanno aliisque medicis instructi sumus, sanguinis vel ex naribus vel ex ano fluxum suppressum, in illis scarificatione adhibita, in hoc vero hirudinibus admotis, restituere; quia, in multis exemplis, epistaxis et haemorrhois ad morbum omnino levandum contulerunt: sed hoc non adeo necessarium esse videtur, praesertim si venae jugulares antea incisae sunt. Quae nos in sanguine detrahendo dirigere debent signa, ab horum severitate plus minusve urgente praecipue pendent; et sanguis mittendus est, donec aliquid levaminis sentiatur, vel etiam ad usque syncopen: neque a pulsu arteriarum debili, larga, et plena exinanitio evitanda est *. Organi vero praecipue affecti ratio habenda est, et

* Vide Conspect. Med. v. 1. p. 253. et alibi.

et ſumma ejus dignitas in animo nobis ſemper tenenda. Modo ſigna certiora hoc remedium quaſi primum poſtulent, ab ejus uſu nunquam abſterreamur, etſi pulſus ex eo plenior, et mollis, vel durus et contractus evadat; nam experientia nos docet, in hoc morbo, pneumonia et gaſtritide, aeque ac in morbis natura contrariis, uti variola confluente, angina maligna, &c. conditionem pulſantium arteriarum haud ſemper minime dubium aegri ſtatus teſtem exiſtere. Sic in illis, licet pulſus debilis depreſſuſque micet, ſanguinis miſſio princeps eſt remedium. In his vero, licet durus ac plenus, a tali remedio non ſine cauſa cavetur, quippe quia ad putredinem proclivitas, propter totius ſyſtematis debilitatem, maximum ex eo periculum ſubiturum quam maxime docet. Inter ſanguinem mittendum, et revera per totum morbi decurſum, corpus erectum tenendum eſt, et etiamſi, ſyncope minitante vel jam inſtante, poſitione horizontale opus fuerit; imo, etiam in hoc ſtatu,

tu, caput erigi debet. In cubiculo frigidulo ac tenebroſo cohibendus eſt aeger; ab omni ſtrepitu caveatur ſuper omnia oportet; et perpauci, quam fieri poteſt, adſtantes coram retinendi ſunt.

Proxima ſanguinis miſſioni propinanda ſunt *cathartica*; quippe quae actionem vaſorum ſanguinem vehentium inſigni modo minuant. Sed horum mitiſſima, quaeque corpus refrigerent, praeſcribenda ſunt; qualia ſunt, oleum ricini, lixivia tartariſata, ſoda tartariſata, ſoda vitriolata, ſoda phoſphorata, cryſtalli tartari, *Braſil ſalts* uti vocantur, elect. ſennae, infuſum tamarind. cum ſenna, et ſimilia; nam purgantia draſtica valde nociva ſunt, ob ſtimulum quem canali alimentario, deinde toti corpori inter agendum, praebent. Maxime quoque prodeſt, alvum ope enematum frequenter ſubducere; nam faeces induratae apud inteſtina, ſaltem inteſtinum rectum, commorantes, ſtimulo his atque toti corpori fiunt:

unt: enematum vero, aeque ac catharticorum, mitissima anteponenda sunt. Haud minus prosunt refrigerantia, uti nitrum, acida mineralia aqua diluta, acida vegetabilia, et acetosa, multum quoque aquae frigidae interne assumptum.

Variis modis commodum afferunt *diluentia mitia*; utpote quae calorem corporis adauctum minuant, et systema universum relaxent, et fortasse sudorem leniter eliciant, qui sponte interdum erumpit. In hunc quoque finem spectat haustus salinus effervescens; sed nulla alia remedia fortiora hoc consilio propinanda sunt, ne quidem emetica, dosibus nauseam facientibus, tametsi multum laudata, utpote quae vomitionem tam cito concitent. Haec vero, in illo morbi stadio ubi vomitus biliosus supervenerit, forsitan exhiberi debent; nam cerebrum vel ejus membranas affici, hoc verisimiliter signum demonstrat, ubi stimulus antimonii tartarisati vel ipicacuanhae ventriculo atque canali intestinali adhibitus,

multum

multum commodi afferre queat; quo tempore remedia prorſus natura contraria praeſcribenda ſunt, uti opium, camphora, et vinum.

Frigus capiti raſo externe admotum, quocunque forma ſive aquae gelidi fontis, ſive glaciei vel nivis, multum prodeſſe videtur. Aqua quoque ſalibus mediis, uti nitro, ſale communi vel acido acetoſo commixta, et pileum luteum Sydenhami, in eundem finem ſpectant.

Totum corpus in balneo refrigerare, medicis quibuſdam multum laudatur. Williſius et Lieutaud, de ejus auxilio contra hunc morbum inſigni, multum diſſeruerunt; quorum poſterior profuſius juſto, me judice, dicit, "Delirium a "balneo frigido ſaepius fugari, imo et mor-"bum ſolvi, quam a ſanguine miſſo." Sed, licet commodum ab eo provenire, modo apte admotum ſit, nullus eſt qui negat; omnia tamen medicamenta, haud ſecus ac balneum frigidum,

ſanguinis

ſanguinis miſſioni ſubſerviunt; ſed, eodem quo tempore ſanguis mittatur, refrigerandum eſt caput remediis idoneis.

Pediluvia tepida nocere ſunt quibus perſuaſum eſt; nec deſunt, qui ea multum prodeſſe dicunt. Lieutaud, in hunc finem differens, ita loquitur, "Pediluvium poſtremo tepidum optime ceſſit." Primus fuit Doct. Stevenſon, qui de hujus remedii commodo dubitavit: ille vero aſſeruit, pediluvium tepidum ſanguinem calidiorem et rariorem, atque motum ejus velociorem efficere; quod periculis poſtea confirmavit. Pedes duorum juvenum in aquam primo paululum calefactam immerſit, cujus calorem, ſpatio triginta quinque minutorum paulatim augebat uſque ad calorem ſanguinis circumflui. Quae a *priori* in ejus mentem venere, ea patuere: Vaſa capitis et manuum omnino turgebant. Hoc remedium ergo, utpote multum dubii prae ſe ferens, nullo modo, incipiente morbo, admovendum eſſe

cenſeo.

censeo. Laudes, quas huic dederunt Lieutaud, aliique medici, ex eo pendebant, quod his persuasum erat, illud sanguinem a capite inferiora versus derivare, quoniam pedes in hoc morbo frigescunt. Sed hoc signum explicat sanguinis insolita copia, superiora versus ruens; talis itaque opinio experimentis Stevenson male convenit, ideoque nullo modo hic loci assumenda.

Epispastica, post sanguinem missum, itemque post alvum purgatam, multum prae se ferre utilitatis, non pauci sunt qui affirmant; sed, nisi fructus praeoptati jam antea ex his provenerint, illa potius nociva esse videntur, utpote quae stimulatrice eorum effectu, quem initio praestant, morbi violentiam renovent. Baglivi ita agit, "Delirantibus cum febre acuta, lingua arida, "indiciis magnae viscerum inflammationis, si "applicentur vesicantia, omnes fere in pejus "ruunt, et ex magna parte moriuntur convul-

 "sivi."

"fivi." Mihi verifimile videtur, quando morbum inflammatione cerebri membranarum, vel aliarum partium, finitum iri expectandum eft, quia nunc, quafi morbus localis, fortaffe evadit, ftimulum, quem epifpaftica praebent, capiti vel pedibus, vel ambobus, admota, quodammodo prodeffe quire; et, qualifcunque fit eventus, fatius effe, uti loquitur Celfus, "anceps auxilium experire, quam nullum." Traditis jam nunc, quae primae indicationi abfolvendae inferviunt, reftat, ut ad quaedam ad confilium fecundum neceffaria animum intendamus.

II. Ad debilitati, quam a morbi violentia et exinanitione corporis neceffaria expectare fas eft, obftandum, per totum hujus decurfum regimini antiphlogiftico ftrictius adhaerendum eft; fed eodem tempore cibo nutriente, parum ftimulante, uti licet, ficuti *panado*, aqua hordeola, vel in qua pulli concocti funt, cum multis prunis, fructibus variis maturis, uti groffulis, pomis,

pomis, malis perficis, fragis. Potum aegri aquam frigidam esse oportet, vel hanc succu limonum *acidulatam*, et pauxillo sacchari commixtam, vel, quod melius est, glycirrhiza.

Malis, quae huic morbo subitura esse periculum est, uti apoplexia, mania, coma, pari modo obstari potest.

Quando debilitas jam revera supervenerit, et morbum redintegrari haud extimescendum sit, diaeta magis nutriens et stimulans debet esse, uti cibus animalis, vinum, cerevisia Londinensis, et similia. Utile aegro quoque est corpus fricari, et cum amicis grata sermonis communicatio, vel quaecunque alia ei arridunt. Tonica quoque prosunt, uti cortex Peruvianus, ferrum, balneum frigidum, vel aqua ab alto in corpus affusa. Quando delirium et pervigilium adhuc restant, opium, camphora, moschus, et hic loci quoque balneum tepidum vel pediluvium. Si apoplexia,

coma,

coma, mania, melancholia, vel fatuitas fupervenerint, remedia ad haec idonea propinanda funt; fed non meum eft de iis amplius differere.

F I N I S.